



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LII. Christus in cruce exaltatus, comparatur aquilæ
provocantis nos ad volandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO LII.

Christus in cruce exaltatus, est aquila provocans nos ad volandum.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas. Deut. 32. II.

I.

Postquam DEUS T. O. M. populum Israëliticum ingenti prodigio per mare Rubrum transvexit, & hostilem Ægyptiorum exercitum in profundo illius submersit, Moysen ad se in montem Sina advocavit, mandavitque, ut post egressum ex Ægypto in illo monte in memoriam perennem tanti facti prodigii sacrificaret, ad quem DEUS: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo-Exod. 19. 4. do portaverim vos super alas aquilarum &c.* Et cur super alas aquilarum?

Observe: Aquila quasi clypeum se opponit pro pullis suis, quos non unguibus & pedibus, sed super alas ac dorsum imponit, vectatque adeo altè, quò nullum telum eos possit offendere. Sic DEUS alis providentiæ suæ sustulit Hebræos, dum eos à cunctis hostibus reddidit tutissimos, quia aquilæ singularis est amor in pullos, ita Dei in homines. Quæ omnia adaptat S. Ambrosius Filio Dei & hominis pro nobis crucifixo. Videamus, & consideremus perlegantes de hac veritate analogias. S. Ambros. lib. 2. de Salom. c. 2.

2. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, Deut. 32. II. expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Ita Moyses brevi nunc moriturus ad inconstantem & ingratum suum populum, quibus verbis Filium Dei suo tempore salutem universorum in cruce operaturum pereleganter adumbravit: in cruce enim exaltatus traxit ad se omnia, provocans nos ad volandum; ibi super nos expansis alis volitat, ibi assumit nos, & portat in humeris, ibi tuerur nos ab hostibus, ibi per mare rubrum passionis suæ transfert nos usque ad cœlestem patriam. O charitatis immensæ prodigium!

B b 3

Aqui-

Le Blanc To.
5. Psal. 102.
v. 5.

Aquila studiosè alit proles suas non tantùm in nido, sed etiam à nido exclusas; Quod experimentum capiunt illi, qui ad lucrum suum, ut Principibus possint deservire, captos aquilæ pullos ad palum alligant, quibus parentes peculiari sollicitudine quotidie afferunt cibos, quibus non dumtaxat pulli aquilarum, sed & ipsi ac filii eorum possunt enutrir. Ita refert B. Albertus Magnus, quòd aquilæ parentes prolibus suis plusquam trecentas anates, & supra centum anseres, lepores circiter quadraginta, & plurimos magnos pisces ad nidum attulerint. En singularem providentiam divinæ aquilæ, Christi Redemptoris nostri! amat nos, fovet nos, & propriâ carne pascit nos; & licet & ipse palo crucis sit alligatus, curam tamen omnium habet: *Quoniam ipsi est cura de omnibus.*

S. Ambros.
loc. cit.

3. Aquila inimica serpentum & draconum est, quorum venenum devorat, & interno concoquit calore. Solet autem aquila draconem, prout refert Philippus Picinelli in Mundo Symbolico, unguibus prehensum in sublime evehere, ut cælo aperto eum jugulet, & publicam ab eo reportet victoriam, unde lemma: *Cælo vincendus aperto*: Christus in sublimi cruce serpentem ac draconem infernalem, qui peccati veneno orbem infecerat universum, superavit. Juvat hinc audire S. Ambrosium: *Ut aquila, inquit, serpentes devorat, & eorum venena calore concoquit interno, ita & Christus Dominus noster draconem percussit, id est, diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tentabat obnoxium, tanquam perniciosum virus extinxit.*

S. Chrysof.
hom. 6. ad
populum.

4. Aquila proles suas non dumtaxat propriis pennis adversus draconis insultus defendit, sed in super, ne siti pereant, proprium pectus rostro fauciat, illasque hausto exinde cruore enutrit ac conservat, unde lemma: *Dat sanguine vitam*. Plus dedit Divina Aquila nostra in cruce, dum pro nostra, omniumque salute omnem profudit sanguinem, pectusque sibi crudeli lanceâ adaperiri voluit, ut nobis veneno peccati emortuis vitam conferret sempiternam: *Quis pastor, ait S. Joannes Chrysofostomus, oves proprio pascit cruore? & quid dico Pastor? Mater multa sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagulat.*

Job. 39. 29.

5. De Aquila ulteriùs recenset Job: *Aquila de rupibus contemplatur escam, & de longè oculi ejus respiciunt, habet enim aquila, licet altissimè*

S. Ambr. apud
Cornel. in
Deutr. c. 32.
v. 11.

volet, visum acutissimum, undique circumspicientem, quem nec lepus sub frutice umbroso latitans, licet pedibus celerrimus, poterit effugere. Audiamus hinc iterum D. Ambrosium: *Aquila, inquit, cum aliquid*

aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras, sed excelsum eligit locum: Sic & Christus a cruce suspensus, tonante strepitu & terribili volatu impetum ab inferis fecit. sanctisque raptus ad superna remeavit.

6. Solent Romani Imperatores pro Symbolo suo præferre aquilam bicipitem, quæ Orientem & Occidentem respicit; uno pede palmam & altero fulmen gerentem cum inscripto lemmate: *In opportunitate utrumque.* Aquila mystica Christus est in cruce biceps, quia divinâ & humanâ constat naturâ, & tamen unus est Christus; ita fides nos docet: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus;* Re. *Symb. S. Athanas.* spicit in cruce Orientem & Occidentem, ad quas terræ plagas brachia & manus extendit, ut in unam eas coadunet Ecclesiam. Sed, quod bene observandum est, Divina hæc aquila ex una parte palmam, & ex altera fulmen gestat cum eodem addito lemmate: *In opportunitate utrumque.* Latrones cum eo crucifixos consule, unus accepit palmam, alter fulmen expertus est. Hoc Symbolum tibi applica, Lector prudens! *Aut palmam, aut fulmen.*

7. Aquila sicut altissimè volat, & nubes penetrat, ita & in profundissimam abyssum sese demittit. Refert gravissimus Author Athanasius Nycenus, quod in Scythia horrenda quædam reperiatur vorago, rupibus ac montibus præaltis undique cincta, in hac generantur uniones pretiosi ac gemmæ diversæ; & quia illius regionis incolæ eò descendere non possunt, solent tenerrimum mactare & excoriare agnum, quem leviter assum & adhuc viscosum in profundissimam illam scrobem præcipitant, ex cujus suavi odore allecta aquila veloci volatu se deorsum demittit, agnum rapit, & supra montes ac rupes in altum attollens, avidissimè devorat; & quia pretiosæ gemmæ ac margaritæ agno illi viscoso adhærent, post discessum aquilæ Scythicis omnia in prædam cedunt.

Per profundissimam illam Scythiæ abyssum rectè limbum ac purgatorium poteris intelligere, ubi animæ SS. Patriarcharum, Prophetarum aliorumque, pretiosi sanè uniones, erant detentæ. Per agnum Christi humanitatem subaudies, in ara crucis igne charitatis tostam, & per velocissimam aquilam Christi sacratissimam animam, quæ sine mora post mortem crucis ad illum tenebricosum ac profundissimum lacum descendit, & cum ditissima præda Orco ereptâ, tertiâ post die gloriosus resurrexit. Anima Christiana! pro reflexione morali disce, sæpius hunc agnum divinum in SS. Sacrificio Missæ in hunc profundum lacum purgantibus animabus in solatium mittere, & sic faciendo divitem prædam capies.

8. Aquilæ.

Le Blanc in
Psal. 102. 5.

Novarin, in
Umbra Virg.
n. 447.

Actor. 4. 12.

Cornel. in
Deutr. 32. 11.

Psal. 102. 5.

8. Aquila denique super pullos intra nidum reclinatos sapius volitat, ut sic eos ad parem volatum excitet, unde lemma: *Provocat exemplo*. Si autem pulli jam sunt vegeti, ac sufficienter ad volandum plumis instructi, eos nido expellit, & in alienas regiones dimittit. Ita Christus in cruce volatu & exemplo suo nos pullos suos provocat ad volandum: *Nos*, ait Aloysius Novarinus, *ad volandum provocavit, dum in cruce manus extenderet, & brachia in alarum modum, ut deinceps nemo imitaretur*. Dimisit autem & Christus pullos suos in varias regiones, Petrum in Italiam, Andream in Scythiam, Jacobum in Hispaniam, Joannem in Asiam, Thomam in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, & sic de reliquis Apostolis, qui omnes Christum JESUM & hunc crucifixum prædicarunt, quia *non est in alio aliquo salus; nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri*.

9. Aquila tandem liberalissima est, quia prædam, quam cepit, cum aliis avibus communicat: ita & Christus prædam æternæ beatitudinis, quam in cruce cepit, cum Sanctis suis partitur, & liberalissimè communicat. Quid nunc restat, nisi ut & nos naturam aquilæ imitemur: *Renovabitur*, ait Vates Regius, *ut aquila juvenis tua*. Fac & tu similiter, anime mi, talem renovationem per veram pœnitentiam, per iteratam mentis recollectionem, per vota tua sapius renovando, & ad Crucifixum amorem tuum in omni tentatione ac labore volando, illiusque exemplo discere, terrena despiciere, & amare solum cœlestia; sic cum aquila pones in arduis nidum tuum, ubi in æternum poteris esse securus.

